



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Die xviiij. Septembris. In Festo Sancti Josephi A Cupertino
Confessoris, Ordinis Minorum Sancti Francisci
Conventualium**

Paderbornæ, 1770

In Primo Nocturno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62850)

Die xviii. Septembris.

IN FESTO

SANCTI JOSEPHI A CUPERTINO

CONFESSORIS,

Ordinis Minorum SANCTI FRANCISCI
Conventualium.

DUPLEX MINUS.

*Omnia de Communi Confessoris non Pontificis
præter ea, quæ sequuntur.*

IN PRIMIS VESPERIS.

Ad Magnificat. Antiph. Mortuus sum, &
vita mea est abscondita cum Christo in Deo.

ORATIO.

Deus, qui ad Unigenitum Filium tuum
exaltatum à terra omnia trahere dispo-
suiſti? perſice propitiuſ, ut meritis, & exem-
plo Seraphici Confessoris tui Joſephi ſupra
terrenas omnes cupiditates elevati ad Eum
pervenire mereamur. Qui tecum vivit,
& regnat &c.

IN PRIMO NOCTURNO.

Lectio I.

De Epistolâ ſecundâ Beati Paulo Apoſtoli
ad Corinthios. Cap. 4. v. 6. ad 12.

Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplen-
deſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris
ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in
facie Chriſti Jeſu. Habemus autem theſau-

A

rum

rum istum in vasis fictilibus: ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituitur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus: semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum: ut & vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. *R. Euge serve bone &c.*

Lectio II. Cap. 5. v. 1. ad 9.

Sciamus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes: si tamen vestiti, non nudi inveniamur. Nam, & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati: eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri: ut absorbeatur, quod mortale est, à vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritûs. Audentes igitur semper, scientes, quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino: (Per fidem enim ambulamus, & non per speciem.) Audemus autem

tem

tem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore: & præsentem esse ad Dominum. *R.* Justus germinabit &c.

Lectio III. Cap. 12. v. 1. ad 10.

Si gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad visiones, & revelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) raptum huiusmodi usque ad tertium cælum. Et scio huiusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) quoniam raptus est in Paradisum; & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro huiusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. Nam, & si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem autem dicam: parco autem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me: & dixit mihi: sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. *R.* Iste cognovit justitiam &c.